62

facti et futuri; non tamen quosdam ibi videbat sicut iam diximus
qui post eius passionem fuerant credituri, hos intuens dixerat,
Cum exaltaveritis filium hominis tunc cognoscetis quia ego
sum; erant ibi etiam qui haec illo loquente continuo credide
runt. Ipsis locutus est quod audivimus hodie. Dicebat er
go Ihesus ad eos qui crediderunt ei Iudeos, Si manseritis in ver
bo meo vere discipuli mei eritis, manendo eritis; qui enim
nunc credentes sunt manendo videntes erunt, sequitur,
et cognoscetis veritatem; Veritas incommutabilis est. Veritas
panis est, mentes reficit nec deficit; mutat vescentem,
non ipsa in vescentem mutatur. Ipsa est veritas verbum
dei, deus apud deum, unigenitus filius. Haec veritas carne indu
ta est propter nos, ut de Maria virgine nasceretur et im
pleretur prophetia, Veritas de terra orta est. Haec er
go veritas cum Iudeis loqueretur latebat in carne, latebat autem
non ut negaretur, sed ut differretur, differretur ut in car
ne pateretur, in carne autem pateretur ut caro peccati re
dimeretur. Stans itaque conspicuus secundum infirmi
tatem carnis dominus noster Ihesus Christus et secundum di
vinitatem maiestatis occultus dixit ad eos qui ei cum haec
loqueretur crediderant; Si manseritis in verbo meo ve
re discipuli mei eritis. Qui enim perseveraverit usque
in finem hic salvus erit. Et cognoscetis veritatem quae
modo vos latet et loquitur vobis. Et veritas liberabit vos.
Hoc verbum dominus a libertate posuit. Liberabit vos, nihil est
enim aliud proprie liberat nisi liberum facit. Quomodo
salvat, nihil est aliud quam salvum facit, quomodo sanat, ni
hil est aliud quam sanum facit, ditat, nihil est aliud
quam divitem, id est divitem facit, sic liberat, nihil aliud
quam liberum facit. Hoc in verbo greco planius est.
Nam in latina consuetudine plerumque dicimus homi
nem liberari quod ad libertatem non pertinet sed tantum
ad salutem; sicut quisquam dicitur liberari ab infirmitate,
usitate dicitur, non tamen proprie. Sic autem posuit
dominus

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0129